

correlative se habet ad Patrem : ergo similiter est bona consequentia quod si per se in quarto modo cognoscit spirationem activam ut communicet eam Filio, etiam eadem perseitate cognoscere debet Spiritum sanctum, quia correlative se habet ad spirationem activam.

XIII. Respondebis ex Vasquez supra a num. xxiv, et ex Alarcon supra citato, c. viii, num. viii, et sequentibus Filium in ratione filii per se quarto modo non procedere ex cognitione Spiritus sancti, secus vero in ratione spiratoris : sic enim in quantum spirator omnino annexam habet cognitionem Spiritus sancti, qui est terminus correlativus spiratoris, sed Filius sub eo signo, et formalitate, qua procedit ut filius, non procedit ut spirator, sed prius intelligitur filius in esse filii, quam in esse spiratoris. Et ut sit; filius solum requiritur in quarto modo per se cognitio Patris, et naturæ sibi communicatæ, et termini cui communicatur. De reliquis objectis, intercedit quidem ibi cognitio, eaque perfectissima, et comprehensiva, sed non omnia objecta ibi comprehensa eodem modo, eademque perseitate concurrunt ad generationem Filii, et inter alia unum ex objectis, non per se concurrentibus, licet ibi comprehensivus, est esse spiratorem, eo quod ratio spiratoris æque primo invenitur in Patre et Filio, non autem prius intelligitur esse in Patre, et sic communicari Filio, sed æque primo est in Filio, atque in Patre, quia de ratione spiratoris est quod non sit unum suppositum, sed duo. Prius ergo intelligitur Filius esse, quam Pater et filius spirator sint. In illo ergo priori intelligitur procedere ut filius, sed nondum ei communicari spirationem activam, et consequenter neque pro illo signo cognoscitur spiratio, sed pro alio posteriori, in quo spiratio activa in-

telligitur simul in Patre et Filio, licet in Filio a Patre, non tamen pro illo signo quo Filius in esse filii præcise intelligitur, spiratio etiam intelligitur, quia non præsupponitur in Patre.

XIV. Sed contra hanc solutionem instatur, quia si velit ista solutio rationem spiratoris, et vim spirativam esse simul in Patre et Filio simultate durationis, aut simultate conditionis requisitæ ut Spiritus sanctus procedat, quia non potest procedere nisi a duabus Personis, fatemur hoc ita esse : si autem velit excludere quod spiratio activa, et virtus spirativa non sit in Filio per communicationem originis derivatam a Patre, sed quod Pater producit Filium præcise in ratione Filii, et virtus spirandi, seu ipsa spiratio tunc ponitur indivise in Patre et Filio, non tamen ut communicata a Patre, aperte est contra id quod decernitur in Concilio Florentino in litteris sanctæ unionis : « Et quoniam omnia quæ Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est. » Ita pontifex : [sed spiratio activa est per quam a Filio procedit Spiritus sanctus, ipsa enim est processio activa Spiritus sancti : ergo hanc spirationem Filius a Patre habet : ergo non potest intelligi Filius productus in esse filii, et quod tunc spiratio activa conveniat utrique Personæ Patri, et Filio pro indiviso, non tamen quod ut præhabita, et contenta in Patre in ipsum deriveatur : sic enim non haberet Filius a Patre hanc spirationem seu hoc ipsum quod est Spiritum sanctum procedere a Filio : a quo ergo principio, vel qua ratione convenit Patri et Filio indivise ista spiratio? Numquid convenit utrique

æque immediate, et non ex principio, sicut potentia generativa convenit Patri a se, et innascibiliter? Sed hoc est contra definitionem illam, quia spirare, et procedere Spiritum sanctum convenit Filio, ut sibi datum a Patre, sicque Filius non esset spirator natus, sed spirator innascibilis sicut Pater, quod est monstrum ponere in Trinitate, ut Filius sit natus, et spirator innascibilis : cum tamen dicat pontifex quod gignendo Pater dedit Filio omnia, et consequenter ipsam spirationem, seu procedere Spiritum sanctum : ergo est spirator genitus, seu ex vi generationis.

XV. Quod si denique velit hæc solutio Filium accipere a Patre tam esse Filium quam esse spiratorem : negari enim potest quod esse spiratorem Filio communicetur a Patre sicut esse Deum ; sed tamen sub aliquo signo, seu priori procedere ut Filium, et sub alio posteriori procedere ut spiratorem, ita quod illa processio duos inadæquatos conceptus habeat, primum quo processio illa attingit Filium in ratione filii, et ad hanc terminationem inadæquatam non requiritur per se in quarto modo cognitio spiratoris : secundum quo procedat ut spirator ; et sic esse spiratorem non prius intelligitur in Patre quam in Filio, sed in utroque simul existit, quia Pater non est spirator, nisi cum Filio simul.

Contra hoc est, quia Pater non communicat Filio spirationem quatenus spirator est, sed quatenus Pater intelligendo, et generando, quia non per actum voluntatis quo producit spiratio, sed per expressionem intellectus communicat Filio, et naturam, et voluntatem ; atque adeo, et spirationem, quæ voluntatis actu perficitur. Et pontifex dicit quod gignendo dedit omnia Filio ; et consequenter hoc quod est Spiritum sanctum procedere ab eo ; ergo Filium

esse spirationem Pater gignendo communicat Filio : ergo exprimendo, et cognoscendo spiratorem producit Filium ut spiratorem : ergo ad hunc inadæquatam conceptum processionis filii quo procedit ut spirator, cum procedat per generationem et gignendo ei communicetur, per se in quarto modo requiritur cognitio spiratoris, et cognitio Spiritus sancti, quia id quod per se communicatur est esse spiratorem. Ergo adæquata processio Filii qua procedit ut Filius, et spirator per se in quarto modo procedit ex cognitione non solum Filii, sed etiam spiratoris, et Spiritus sancti, quia adæquata processio secundæ Personæ est ut filii, et spiratoris. Rursus : Ille inadæquatus, et posterior conceptus quo dicitur procedere Filius ut spirator, etiam pertinet ad generationem, et nativitatem Filii, si quidem accipit spiratorem esse per generationem a Patre : gignendo enim Pater dedit Filio suo hoc quod est procedere Spiritum sanctum : ergo Filius cum intelligitur accipere filiationem, et nondum spirationem activam, nondum intelligitur perfecte, et complete genitus, sed adhuc generatio continuatur, quia pro alio posteriori etiam gignendo datur sibi a Patre spiratorem esse : ergo adhuc in alio posteriori non supponitur genitum in facto esse, sed adhuc gignitur, quia gignendo datur id quod in alio posteriori datur : ergo cum spirator gignendo datur, Filius gignitur, quia non datur gignendo aliquid nisi genito ut genito : ergo Filio ut filio : ergo non ita intelligitur filiatio in illo priori, quod non etiam intelligatur ut filius in signo posteriori, quia ut genitus. Si autem in utroque signo ut filius attingitur, et procedit, sed intelligitur in uno signo inadæquate accipere naturam, et in alio accipere spirationem, hoc parum interest,



quia sufficit ad perfectam similitudinem Filii requiri quod accipiat a Patre omnia illa, quia in illis omnibus assimilatur Patri; et sic filiatio perfecte, et complete sumpta ex omnibus illis est, licet inadæquate possit nostro modo intelligendi concipi, quod pro uno signo communicatur sibi a Patre unum attributum, et pro alio signo aliud, quo non obstante, ex omnium attributorum cognitione per se in modo procedit Verbum. Quod si non potest dividi ista prioritas et posterioritas in attributis, quia inter se ordinem, et distinctionem non habent, eodem modo neque spiratio activa in alio posteriori communicabitur, quia inter ipsam, et essentiam seu attributa nullus ordo est, nec alia distinctio quam inter attributa.

XVI. Denique, falsum est spirationem activam non præintelligi in Patre ut communicetur Filio, quia non est spiratio, nec potest intelligi in solo Patre, aut prius in Patre, sed æque primo in utroque. Nam sicut essentia intelligitur in Patre prius quam in Filio, et a Patre communicatur Filio, ita et spiratio activa, et eodem modo præhaberi debet in Patre spiratio sicut essentia; probat enim Concilium, et pontifex ubi supra, quod ideo Pater Filio suo communicat hoc quod est procedere Spiritum sanctum a Filio, quia omnia quæ habet gignendo ei dat: ergo illa spiratio est unum ex contentis inter illa omnia quæ Patris sunt, alioquin non bene probaret hanc spirationem dari a Patre, ex eo quod dat omnia quæ Patris sunt: si autem dat illam tamquam aliquid quod Patris est, et dat illam per originem, et generationem, quando Pater intelligitur generare, jam aliquid suum est spiratio: nihil enim per generationem dat tamquam suum, quod intelligatur sibi conve-

nire, et in se habere, ut per generationem detur, et origine ipsa debetur.

XVII. Dico tertio: Verbum procedit per se in quarto modo ex cognitione creaturarum tamquam ex cognitione objecti, seu rei cognitæ, ita quod species seu forma qua intellectus paternus producit Verbum, concurret ad ipsum formaliter, et per se ut repræsentat secundario creaturas. Et in quantum Filius etiam sic procedit per se ex cognitione creaturarum, quia eadem formalitas est Filii intellectualis seu intelligibilis, et Verbi.

Fundamentum hujus conclusionis eodem modo sumi debet atque præcedentis. Non enim solum urgemus contra sententiam Vasquez rationem cognitionis perfectæ, infinitæ, comprehensivæ, quæ necessario exigit creaturarum attingentiam, et cum ex illa procedat Verbum, videtur necessario procedere ex cognitione creaturarum. Non hoc tantum urgemus, quia nec oppositi auctores negant requiri cognitionem comprehensivam utpote perfectissimam, et infinitam: sed dicunt non omnia quæ in hac cognitione comprehensiva ingrediuntur eodem modo requiri, sed quædam concomitanter, quædam formaliter, et per se, sicut ad processionem Spiritus sancti non influit per se amor creaturarum, sed solum Dei, nec ad processionem Verbi scientia visionis creaturarum, seu cognitio futurorum, quia libere convenit Deo; et tamen concomitanter etiam in comprehensiva illa scientia invenitur. Et denique, omnium creaturarum cognitio est cognitio de objecto secundario, non primario; et sic non se habet ut per se assimilans Verbum in substantia generantis, quod solum requiritur per se quarto modo ad generationem substantialem illius: solum enim

assimilatur substantialiter Patri in natura divina, et hoc solum est de ratione generationis quatenus talis. Quod vero ultra hoc etiam creaturas attingat, invenietur quidem in cognitione illa quatenus divina, et infinita est, non quatenus substantialiter generativa, quæ est alia formalitas, licet præsupponat illam concomitantiam ut conditionem.

XVIII. Quare ulterius premimus fundamentum nostrum, et ostendimus etiam in formalitate illa notitiæ ut generativæ, et substantialiter productivæ Verbi, influere in quarto modo per se cognitionem creaturarum, licet per modum objecti secundarii. Et deducitur ex simili probatione præcedenti conclusionis, insinuatque a D. Thoma loco supra citato in hac quæstione xxxiv, art. iii. Quia verbum divinum ex vi suæ characteristicæ proprietatis procedit ut Verbum perfecte, et summe simile Patri, quia procedit ut splendor gloriæ, et figura substantiæ Dei, ut dicitur ad Hebr. i. Sed non est perfecte simile Patri, nisi quatenus procedit ut Verbum factivum omnium creaturarum, et ut Verbum omnipotens: procedit enim ut summa sapientia, proprium autem est sapientiæ summæ etiam se habere ut artem faciendi omnia, hoc enim etiam in sapientia summa includitur; et procedit ut omnipotens ad exequendum sapientiam suam, et ut habens virtutem creandi, et faciendi omnia, et ideas omnium creaturarum, quæ in ipsa divina sapientia exprimuntur: hæc enim omnia pertinent ad intrinsecam similitudinem, et formalem rationem, qua Verbum procedit simile Patri in essentia, et attributis. Requiritur ergo per se quarto modo in cognitione generante Verbum cognitio sapientiæ divinæ, etiam ut pars factiva est creaturarum, et ut habet ideas, et cognitio omnipotentia: si

enim omnium attributorum essentialium cognitio per se requiritur ad processionem Verbi, ut Vasquez fatetur, quare non requireretur cognitio omnipotentia, quæ est unum ex attributis? Sed non potest stare cognitio omnipotentia, et idearum, et artis factivæ, nisi attingantur creaturæ, quæ se habent ut terminus omnipotentia, et idearum, et artis factivæ, nec discerni potest virtus creativa a spirativa vel generativa ad intra, nisi quia illa est circa creaturas, iste circa Personas: ergo si per se quarto modo requiritur cognitio potentia creativa, ut creativa, et ut discernitur a spirativa, ut communicetur Filio, quia cum exprimit ut similem sibi, imo ut concomitantialem in creando, necessario in eodem modo perseitatis requiritur attingentia creaturarum, ut terminus penes quem discernitur creativum a spirativo, et generativo, et exprimitur Verbum ut factivum creaturarum. Nec requiritur ad hoc potentiam creativam realiter respicere creaturas, quia non consistit illa virtus causativa in respectu reali ad effectum, imo quanto independentior ab effectibus, tanto potentior, quia magis effectus dependent ab illa, sed tamen quia illa virtus non potest intelligi ut causativa, nisi alicujus causativa sit, ideo si videtur ut creativa, necesse est etiam videre cujus rei creativa sit, scilicet creaturarum: et præsertim quia Pater videt se communicare Filio potentiam creativam, et non generativam in quarto modo per se, ergo in eadem perseitate videt, et discernit creativam a generativa, quod illa est creaturarum ad extra, hæc Personæ genitæ ad intra: ergo attingit per se terminos utriusque potentia.

XIX. Denique, Verbum divinum procedit quarto modo per se ut expressio creaturarum, et ideas earum



in se habens, cum sit imago intelligibilis, et similitudo expressa divinæ sapientiæ, et hoc habent ideæ per intrinsecam, et realem repræsentationem, si quidem est naturalis repræsentatio, et exemplar creaturæ formandæ, repræsentatio autem naturalis, realis, et intrinseca est, non sicut significatio ad placitum, quæ est denominatio extrinseca; unde male aliqui concedunt repræsentationem idearum esse extrinsecam, et non intrinsecam, cum sit naturalis conceptus, et repræsentatio sui ideati, non per dependentiam ab ideato, sed potius per dependentiam ideati ab ipsa; imo tunc est major realitas in causa, quando minus dependet ab effectu, effectus autem magis ab ipsa: sed non potest communicari Verbo per se in quarto modo quod habeat repræsentationem, et expressionem naturalem creaturarum, vel ideationem earum, nisi cognoscantur creaturæ quas exprimere, et ideare debet, et quomodo et qualiter ideandæ, et faciendæ sunt, nisi etiam ipsæ creaturæ ideatæ, et repræsentatæ attingantur: nec enim intelligi potest cognitio perfecta alicujus imaginis, et repræsentationis, nisi cognoscatur id cujus est imago, et repræsentatio: unde sicut non potest intelligi quod Deus alicui det virtutem ad aliquem effectum, nisi cognoscendo talem effectum ad quem datur illa virtus, nec quod infundat Angelo speciem repræsentativam leonis, nisi intelligat leonem, cujus speciem, et repræsentationem in mentem Angeli fundit, sic multo a fortiori non potest intelligi quod Deus generet Filium cui communicat omnium creaturarum ideas, et quod non intelligat ex vi talis processio- nis, et eadem perseitate quarti modi ipsas creaturas, quarum sunt ideæ expressivæ, cum hoc in ipso conceptu, et cognitione idearum involvatur.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Ad fundamenta supra posita pro sententia Scoti, et Vasquez prius respondendum est.

Ad primum fundamentum Scoti respondetur imprimis non procedere in nostra sententia in qua dictio non est alia operatio, seu actio a cognitione, sed formaliter cognitio est, et sic non antecedit cognitio dictionem, sed ipsa cognitio dicitur verbum, et cognoscitur dictum. Sed adhuc ejus sententia admissa, non habet vim illa consequentia Scoti. Pro illo priori non intelligitur verbum dictum: ergo pro illo priori non intelligitur verbum, neque intuitive, quia in illo non intelligitur dictum, neque abstractivè, quia verbum sine existentia, seu abstrahendo ab existentia non potest intelligi, distingo antecedens; non intelligitur verbum dictum, terminative in se, et secundum reale exercitium originis, transeat; non intelligitur objective, nego: idem enim verbum, quod in alio posteriori originatur, et realiter procedit, in illo priori objective attingitur, quia illa intellectio etsi a nobis concipiatur in illo priori, non tamen fertur in id solum quod in illo priori continetur, sed etiam in ea quæ ad alia signa posteriora pertinent: licet pro illis posterioribus signis exercenda, sed tamen etiam in illo priori cognoscibilia. Et ad instantiam, quia pro illo priori non videtur intuitive, quia nondum est, dico quod pro illo priori videtur intuitive, quia illa prioritas non est durationis, et existentiae, seu realitatis, sed intelligentiæ, et inadæquati conceptus; esse autem intuitivam cognitionem non regulatur penes præcisionem, et inadæquationem nostrorum conceptuum, sed penes id quod est in re.

Unde cum illa prioritas nostræ intelligentiæ non excludat, quod in re sit existens, adhuc illa prioritas retinet intuitionem, quia retinet similitudinem cum ipsa realitate durationis, quæ in re existens est, licet ex vi præcisionis, et prioritatis rationis non importetur, aut non explicetur existentia, quia formalitas ibi præscinditur, non duratio consideratur: sufficit autem ad intuitionem, quod in re, et secundum durationem existens, et præsens sit id quod in illo priori consideratur.

XXI. Ad secundum fundamentum negatur antecedens. Ad probationem dicimus, quod Filius in illa processione habet se ut objectum cognitum, distingo; ut objectum cognitum terminative, et ut res dicta transeat; motive, et per modum speciei fœcundantis intellectum, nego; ergo est imago sui, nego consequentiam.

Ratio est, quia imago procedens per intellectum non dicitur imago respectu cujuscumque objecti, quod cognoscitur, aut exprimitur in illo, sed illius objecti, quod se habet ut principium fœcundans intellectum exprimentem. Objecta autem quæ continentur in objecto sic fœcundante, et formante intellectum ad expressionem non se habent ut principium imaginis, vel ut id cujus talis est imago, sicut si formatur imago hominis, qui est pater filiorum, aut in signis, in litteris, vel bellicis rebus, ita ut qui videt imaginem, videt illum hominem ut insignem auctorem talium factorum, vel patrem filiorum, non tamen imago illa est imago illorum filiorum, vel factorum, sed solum imago illius hominis, quia ad illius imitationem exprimitur. Sic ergo licet Deus ad exprimentum, et producendum Verbum cognoscat plura objecta circa quæ terminatur talis cognitio, tamen objectum cui per se assimila-

tur est essentia divina ut fœcundans intellectum Patris, reliqua vero objecta attingit ut contenta in essentia, nec omnia illa exercent rationem speciei fœcundantis, sed solum essentia in quantum ipsa est per se primo intelligibilis, et intellecta et ratione ejus Persona, et attributa, et reliqua omnia intelligibilia redduntur, sicut, et immaterialia; et sic Pater ut fœcundatus essentia divina intelligibili producit imaginem suæ substantiæ cui directe assimilatur Verbum, reliqua vero exprimit quidem, et habet illa ut objecta per se attacta, sed non ut rationem per se motivam, et cui assimilatur ut principio, et consequenter nec dicitur imago illorum, sed tantum substantiæ Patris.

XXII. Ad fundamentum sententiæ p. Vasquez supra allatum respondetur principium per se in quarto modo concurrens ad generationem Verbi esse id in quo assimilatur Patri, nec procedere ex notitia Spiritus sancti et creaturarum tamquam ex principiis quibus assimilatur, et quorum sit imago; sed tamen procedere ex notitia horum objectorum, tamquam ex omnino requisitis ad cognoscendum id in quo assimilatur Patri: sicut supra ponderavimus quod debet assimilari Patri in virtute spirativa, et hæc non potest cognosci a Patre sine attingentia Spiritus sancti qui est terminus illius spirationis. Et debet assimilari Patri in omnipotentia, et in sapientia ut factiva creaturarum, quæ non possunt cognosci ab ipso ut communicentur Filio, nisi cognoscendo quorum sit potentia illa, et ars factiva, scilicet creaturarum. Itaque multa objecta cognosci debent per se perseitate quarti modi a generante, non solum quia sunt id in quo directe Verbum assimilatur Patri, sed quia id in quo assimilatur Patri non cognoscitur sine illis



propter connexionem impræcisibilem, sicut virtus spirativa ut proprie spirativa, et non creativa non potest intelligi sine termino talis spirationis, qui est Spiritus sanctus nec creativa potentia, et ars factiva creaturarum sine creaturis ut terminis istarum potentiarum. Ergo si per se in quarto modo requiritur cognitio ejus in quo assimilatur Filius Patri, per se etiam requiritur cognitio ejus sine quo hoc assimilativum non potest intelligi. Unde per se requiritur ad productionem Verbi cognitio virtutis spirativæ, et creativæ, quia in his Verbum assimilatur Patri; cognitio autem Spiritus sancti et creaturarum non tamquam id cui Filius assimilatur, sed ut terminus per se connexus cum ista virtute, in qua Filius assimilatur Patri.

XXIII. Secundo, objeci potest in favorem sententiæ Vasquez. Prius origine intelligitur in Deo processio Verbi, quam processio Spiritus sancti si quidem processio Spiritus ex sua characteristicâ ratione supponit Verbum ut productum, quia ab illo est ut a principio quod simul cum Patre debet procedere: ergo pro illo puncto, et signo, quo nondum intelligitur produci Spiritus sanctus neque intelligitur cognosci. Patet consequentia. Productio Verbi est cognitio: ergo pro illo signo quo est prior ut productio, etiam est prior ut cognitio, et quidquid pro illo signo non conducit ad productionem, etiam non conducit ad cognitionem, productio si quidem illa est cognitio: sed pro illo signo Spiritus sanctus non est terminus productionis, et multo minus ut principium: ergo neque pro illo signo est terminus cognitionis, qua procedit Verbum, neque principium: ergo nec per se in quarto modo requiritur, quia solum requiritur per se in quarto modo illud quod se ha-

bet ut principium aut terminus. Quod secus accidit in cognitione, qua Pater intelligitur cognoscens in eo signo antequam intelligatur Filius passive productus, quia etiam pro illo signo, et antecedentia intelligitur cognitio Patris ut notionalis, et generativa, licet Filius nondum intelligatur genitus passive, et existens. Actio autem seu cognitio ut generativa hoc ipso quod concipitur ut via et origo, concipitur ut per se quarto modo includens terminum suum, et cum Verbum sit terminus talis cognitionis, per illam attingitur in quarto modo per se. At vero Spiritus sanctus pro illo signo productionis Filii nec intelligitur ut terminus, neque ut principium illius productionis: ergo neque illius cognitionis.

XXIV. Confirmatur, quia si per se procederet in quarto modo ex cognitione Spiritus sancti esset Filius imago Spiritus sancti, nam Verbum modo exprimit, et repræsentat Spiritum sanctum et creaturas. Non ergo deficit illi ratio imaginis ex defectu similitudinis: solum ergo deficere potest ex eo quod Spiritus sanctus non se habet ut principium hujus assimilationis: ergo si se habet ut objectum per se quarto modo requisitum, et motivum, nihil ei deest ut sit imago illius: nec enim aliter imagines ab hominibus depictæ sunt imagines alicujus objecti, nisi quia accipitur ut objectum per se movens ad talem expressionem.

Confirmatur secundo, quia si intelligeremus per impossibile non dari Personam Spiritus sancti neque creaturas esse possibles, et cognititas, adhuc salvaretur generatio Verbi, et processio per intellectum: ergo cognitio Spiritus sancti et creaturarum non requiritur per se quarto modo. Consequentia patet, quia illud solum requiritur per se quarto

modo, quo posito sequitur actio, et effectus, et quo ablato, tollitur. Ergo si non considerato Spiritu sancto et creaturis, adhuc remanet generatio Verbi, non requiritur per se cognitio illius. Antecedens vero probatur, quia remoto Spiritu sancto adhuc remanet principium generationis Verbi, et terminus; principium, quia manet Pater cum natura divina communicabili per intellectum; terminus, quia manet Verbum: ergo remanet quidquid per se requiritur ad generationem Filii. Nam quod tunc non consideretur ut spiratur, non obstat, quia prius est esse Filium, quam spiratorem: nec enim sub ratione spiratoris est terminus generationis paternæ, sed sub ratione filii: ad spiratorem enim per se non terminatur generatio, sicut Græci intelligunt Filium procedere ut filium, nec tamen esse spiratorem, quia apud ipsos non procedit Spiritus sanctus a Filio, sed a Patre solum, et tamen secundum ipsos secunda Persona procedit ut filius; non ergo per se in quarto modo Filius petit cognitionem spiratoris, neque Spiritus sancti.

XXV. Respondetur ad principale argumentum negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod productio Verbi est cognitio, sed non est cognitio solius Verbi, aut principii, et naturæ cui assimilatur Verbum, sed etiam omnis objecti, sine quo id quod communicatur Verbo non potest intelligi, sicut non potest intelligi vis spirativa sine Spiritu sancto, virtus creativa sine creaturis. Quando autem infertur quod sicut productio Verbi est prior processione Spiritus sancti, ita et cognitio, concedimus: et similiter quod quidquid non conducit ad productionem, non conducit ad cognitionem illam prout generativa, et expressiva est in quarto

modo per se. Et cum additur quod pro illo signo Spiritus sanctus non conducit, neque ut terminus productionis, neque ut principium, distingo; ut terminus productionis formaliter, et immediate productus in illa processione Verbi, concedo; mediate, et virtualiter productus, seu potius producendus, nego: licet enim per processionem, et generationem Verbi, terminus illius productionis sit solum Verbum, tamen quam terminus genitus, tamen quia communicatur ex vi talis generationis Verbo, quod sit spirator, et in virtute spirativa continetur terminus ejus, qui est Spiritus sanctus, etiam ex vi talis generationis Spiritus sanctus conducit non ut terminus productus formaliter, et genitus, sed ut terminus spirabilis, et virtualiter contentus in virtute spirativa quæ pro illo signo communicatur Filio. Unde cum infertur: Ergo pro illo signo non conducit Spiritus sanctus ut cognitus si non conducit ut productus, distingo; non conducit ut cognitus per modum termini spirabilis, et virtualiter contenti in virtute spirativa, nego; ut terminus in illo signo genitus vel productus formaliter, concedo. Non conducit autem in quarto modo per se solum ille terminus, qui in illo signo formaliter producitur, sed etiam ille terminus qui virtualiter continetur in virtute per se quarto modo communicata Verbo pro illo signo suæ generationis, quia talis virtus nec potest communicari sine continentia sui termini, neque sine illo cognosci, quia talis virtus essentialiter petit talem terminum, nec sine illo cognoscitur. Ergo si per se quarto modo cognoscitur virtus, cognoscitur et terminus, non ut ibi productus, sed ut in illa virtute contentus.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur ex supra dictis ad